



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pvgnā Spiritvalis**

**Scupoli, Lorenzo**

**[S.l.], 1599**

**VD16 S 5184**

De Perfectionis Necessitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)

DE PERFECTIO-  
NIS NECESSI-  
TATE.

Ex D. Bernardi Epist. CCLIII.  
ad Garinum abbatem  
Alpensem.

I Taq; indefessum proficiendi stu-  
dium, & iugis conatus ad perfe-  
ctionem perfectio reputatur. Quod  
si studere perfectioni, esse perfectū  
est, profecto nolle proficere, defi-  
cere est. Vbi ergo sunt qui dicere so-  
lent, Sufficit nobis, nolumus esse  
meliores quā patres nostri? O  
monache, non vis proficere? Non.  
Vis ergo deficere? Nequaquam.  
Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere  
volo, & manere in quo perueni,  
nec peior fieri patior, nec melior  
cupio. Hoc ergo vis, quod esse non  
potest. Quid enim stat in hoc secu-  
lo? Et certē de homine specialiter  
dictum

dictum est: Fugit velut umbra; & nūquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis seculiq; auctor quandiu in terris visus est, & cū hominibus conuersatus est, nūquid stetit? Et quidem teste scriptura pertransijt benefaciendo & sanando omnes. Pertransijt ergo sicut non infructuosè, ita non remissè: non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sit currite, vt comprehendatis. Ibi tu Christianæ fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris: si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis. Brauium Christus

stus est. Quod si illo currente tu gra-  
dum sistis : non Christo appropias,  
sed te magis elongas : timendumq;  
tibi est quod ait Dauid : Ecce qui  
elongant se à te Domine , peribunt.  
Itaq; si proficere currere est: vbi pro-  
ficere , ibi & currere desinis. Vbi ve-  
rò non currere , ibi & deficere inci-  
pis. Hinc planè colligitur quia nol-  
le proficere , non nisi deficere est.  
Hactenus D. Bernard.



Th

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.